DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

MICTIONE PULTACEA,

Quam

AUSPICE SUMMO

Decreto & Authoritate

Incluti Medicorum Ordinis

In Perantiqua hac Universitate

EBERHARDINA.

PRÆSIDE

EXCELLENTISSIMO,

DN. ELIA RUDOLPHO

CAMERARIO,

Philos, & Med. D. & P. P. Ordinario, Sereniss. Ducum Würtemb. Archiatro.

Pro

LICENTIA

&

Summis in Medicina Doctoralibus Privilegiis ritè consequendis.

Publico ac Solenni subjicit Examini

H. L. q. S.

GEORGIUS FRIDERICUS CELLIUS, Esling.

Ad Diem Novembr.

TUBINGÆ, Typis JOHANN-HENRICI REISI, ANNO 1683.

BIGÆ PATRONORUM
PARENTIS INSTAR SANCTE COLENDORUM.
VIRIS
MUNERUM AMPLITUDINE.
MERITORUM GLORIA.
PATROCINII LIBERALITATE.

Conſpicuis.

DN. JOANNI GRAVIO,
JCto Conſummatiſſimo, Juris Canonici ac Praxeos Profeſs. & Anteceſſori in Academia Tubing. Celebratiſſimo.

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,
Med. D. ac P. P. in laudata Academia Excellentiſſimo Seren. DUCUM Wirtemb. Archiatro ac Conſiliario longè Meritiſſimo.



Patronis, Affini, Mœcenatibus, Præceptoris ad halitum uſque ultimum omni obſervantiæ Cultu proſequendis.

HOC SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM
In grati animi monumentum
&
Vlterioris Patrocinii Incitamentum
Sacrum eſſe jubet
GEORGIUS FRIDERICUS CELLIUS.



Casus Mictionis Pultaceæ.

VErgit ad Quinquennium, cùm tempore Hyemali vocaretur *Medicus* Rus ad *Virum* 64. annorum, Stemmate Antiquo Nobilem, Temperamenti Sanguineo-Pituitosi, in Juventute castra secutum, in Diæta tùm genio indulgentem, nunc eundem refrænantem, tùm laboribus defatigatum, nunc quieti deditum, tùm curarum expertem, nunc iisdem nimiis maceratum, *Qui* ostendit anxius *Medico* urinam sedimento copioso, ut hoc dimidium & ultra repleret matulæ spatium, albo, viscido, lento, pultis ferè consistentia scatentem, pallescentem, crassiorem, conquerens, ante octiduum cum levi ardore tale primùm exire cœpisse sedimentum, nunc crescente ipsius quantitate, augeri malum, ut cum summo cruciatu, ineffabili dolore, & ardore urgentissimo, ad sudorem usque frigidum profluat urina, cui confusum primùm sit, pòst brevi coêat ac subsideat hæc calcea Puls, ab emissione ista, horæ uno vel dimidio quadrante elapso, dolorem cessare, nihilque molesti, lassitudine, cruciatuum sobole excepta, remanere. Dum agitaret *Medicus* matulam, dividendo Pultem istam, mox iterum se collegit illa; Curiosè dum scrutaretur reliqua ad cognoscendum & curandum affectum necessaria, præter levem Anorexiam hactenus & nunc p. n. Ægrum nihil sentire, Patrem Podagricum Nephriticum habuisse, vinum non valdè generosum ordinario haurire potu responsum tu-

lit. Præſcripſit *medicamenta*, & cùm per 3. aut 4. adhuc ſeptimanarum ſpatium duraret iſta torquens mictio, continuanda ſuaſit; unde dictus dolor cum ſedimento aliquantum imminui cœpit, ſuperveniente Arthritide, pedes, brachia, manus infeſtante, cum tumore valde inſigni, dolore mediocri, cui cùm etiam ſuos opponeret *Medicus* arietes, intra octiduum & hæc intumeſcentia cum ſedimento & acrimonia ceſſavit. *Nobilis* autem ab omnibus iſtis hactenus liber vixit.

Medicamenta præſcripta fuerant: Primò Potio Leniens ex *decoct. fol. ſen. ſſ.* ℥ij. *ſem. aniſ. crem. tartari rad. liquir.* ana ℈ſ. *& Elect. diacaſſ. cum mann.* ʒx. Mixtur. *ex aq. contra ardor. urinæ Mynſ.* ℥iiß. & *malv.* ℥iß. *Syr. de Alth. Fern.* ℥j. ſæpius repetit: Pòſt juſcula *naſturt. aquat. rec. rad. Alth. liquir.* & *ſem. malv.* alterata; & Emulſiones ex *ſem. 4. frig. exc. pap. alb. malv.* & *amygd. d.* modò cum *aqua malv. frag. petroſ.* modò cum *aq. font.* in qua *cruſta panis toſta* maduit, paratæ, per integrum iſtud tempus interſperſo uſu pil. ex *Extr. ſpec. diatr. ſantal.* ʒj. & *Tereb. Venet.* ℈j. pro doſ. ℈ß. Nonnunq. Tragæa ex *flaved. cort. arant. ligno ſaſſafr. tunic. ventr. gall. Ebor. præparat.* & *Sacch.* Contra Arthritidem. ℞. *Lumbric. terr. præparat. Diaphor. ♃. ſuccin. præparat. C. C. phil. calc.* ana ʒjß. *Sem. aquil.* ℈ij. M. F. pulv. divid. in 12. doſ. æq. mane & veſperi. Pil. noctu deglutiend. ℞. *Extr. papav. err.* ℈j. *Extr. bezoard. Præſid.* ℈ß. *Bezoard. miner. Cinab. nat.* ana gr. v. M. F. Pil. pond. gran. dos VIII. IX. X. Externè nuchæ & ſpinæ inunct. *ol. lumbric.* & *pingued. viper. Ital.* Interdictum in *Diæta* omnibus acribus, vino acido; Potus ordinarius ex *Hord. raſ. Ebor.* & *ſem. fænic.* fuit.

Z. C.

Σ. Θ.

Resolutio.

Thesis I.

Quale *signum in morbis præbeat Urina*, tribus abhinc & quod excurrit, annis, publicè exposui, & Commilitonum ventilationi subjeci. Nunc, cùm *Inaugurale* ac *Publicum Specimen, Disputatione Solenni* edendum Decreto *Amplissimi Medicorum* Hujus Academiæ *Ordinis* mihi incumbit, *Urinæ* sive *Mictionis Pultaceæ* Casum, si in genere spectes, frequentem, si causam illius in specie consideres, oppidò rarum resolvere & Publico Examini submittere lubuit, versato jam per aliquod tempus in Practico, quà tales Casus, manuducente privatim *Excell. Dn. Præside*, Exercitio. *Tu, Summe Archiater, nostris adsis conatibus, Tu, Tua nobis assiste Gratia.*

II. In Verbi, *Mictio*, Anatomia, subtilis aut prolixus non ero, quid enim dicat, notum. *Pultaceam* hanc nostram dixi, quia pultem, ex farina alba cum lacte sive aqua subactam ac paratam, quà contentum, potissimum refert. Eodem nomine insignire amat Timæus *Cas. med. l. 3. cas. 43.* Urina enim hîc excreta fuit alba, sed non perspicua, ceu sæpiùs *Hippocrates* & *Celsus* describunt, verùm opaca, crassa. Vocari solet à *Vulgo*, ut *Drawiz. de Scorbut.* pag. 377. scribit, Bieber / ac si castor in vesica omnia circumvolvens urinam turbaret, semper & incrassaret. Urina autem talis alba, crassa, lenta, ob tales moleculas cum sero confusas redditur; *Williss. de Urina cap. 4.* dicit: *Restat Urinæ species quædam altera, citrina, pallidior, minimè tenuis, verum crassa & opaca, atq; coloris subalbidi; Communi observatione constat sæpè pueros talem excernere, cum viscera eorum lumbricis scatent, cujus ratio videtur, quia materia ex qua fiunt lumbrici, est viscida quædam pituita, ob chyli indigestionem & πνευματώσεως defectum, in visceribus congesta, quæ primo nullam UrinæTincturam transmittit, ob materiæ fixitatem; Postea eadem materia putrescens exaltatur, & aliquo modo volatilisatur; atq; tunc partim calore, & spiritu in lumbricos effórmatur, ac partim*

chylotranseunti confusa, ac in vasa delata, cum sit nutricatui in idonea, cum sero à cruore secernitur, & Urinæ permista, colorem album ipsi conciliat; quandoq; etiam in febribus, præcipuè puerorum Urinæ albicant; Cujus ratio est, quia succi nutritii supplementum, è chylo cruoris massæ suffusum, non ritè assimilatur, sed in humorem excrementitium degenerat: Cujus portio sero incocta, ei consistentiam crassiorem & colorem lacteum impertit: Secus ac in adultorum febribus, ubi, cum calor sit fortior, ejusmodi succi degeneris adventus colorem rubicundum sero imprimit: Item: *Urinæ albescunt, in Fluore albo, Gonorrhæa, Ulceribus Renum, Vesicæ & Meatus Urinarii, ob saniei aut seminis corrupti confusionem; utcunque sit color Urinæ albus ab ejus contentis producitur. Contenta* non hæc solùm, sed & alia varia, quæ liquori Urinario permisceri, ac lentum candorem inducere, contento crasso albo materiam præbere solent, nunc perpendam; & Nostro applicabo Casui.

III. Est ex Illorum Ordine *Sputum*, illud nimirum serum, illa saliva viscidior, spissior, copiosior excrementitia è vasis lymphaticis & glandulosis faucium, palati, Oris spongiis, etiam pulmonibus transudans, exstillans, exscreatione, spuitione educi solitum; In sputatore enim uno vel altero pro spleneticis, vulgari voto, habitis sputationem subitò cessasse, Urinam verò sedimentum mucosum sputo per omnia simile monstrasse, & è contra tale sedimentum à copiosissima expuitione evanuisse, *Excell. Dn. Præses* retulit. E nostra autem hîc descripta Urina hanc causam *abesse* jubet sputatio neque prægressa neq; subsecuta.

IV. Est ex dicta classe *Chylus*, ille in ventriculo & intestinis elaboratus succus, copia solum peccans, in pueris, & adultis voracibus, est, cùm non debitè subactus, est, cùm corruptus cum Urina educitur. Per *varias* aliâs *vias* chylus nonunquam excernitur. Ex *venis* brachii sectis prodiisse *Thom. Barthol. de lact. thor. cap. 13.* & *Rayger. Ephem. German. Anno 6. & 7. obs. 214.* testantur. E Rustici vena loco sanguinis libras aliquot materiæ muco narium similis, subpinguis albicantis, ne unicam verò sanguinis guttulam prodiisse, refrigeratam istam ferè concretam fuisse, & à *Modernis* pro chylo agnosci refert *Rollius de*

fluore

fluore albo mulierum cap. 4. vid. *Petrus Guiffart. de Cord. Offic. cap. 7.* E Religiosi cujusdam ord. S. Dominici vena pro sanguine educendo, ob capitis vertiginem & præcordiorum angustiam secta, effluxisse loco sanguinis tribus exceptum receptaculis lac quasi verissimum recens emulctum, colore, consistentia externa, specie lac bubulum referens narrat *Physicus Gedanensis Joh.* Schmidt *Ephem. Germ. Anno 3. obs. 123.* In *Scholio* illud lac chylum fuisse nullam adhuc mutationem expertum præsupponit, in causas ibidem solicitè inquirens, & hunc succum à sanguine albedinem lactis referente, è vena educto, quod *Borellus cent. obs. 25. notavit*, & ab albo glutinoso in modum pituitæ, sanguine, quem V. S. à *Prævotio* observata effluentem describit *Rhod. cent. 1. obs. 36.* distinguens. Ex venis eductum cruorem cremoris specie *Parisiis Acta Phil. Anglica anni 1665. Mens. Novembr. & Oxoniæ* von Hammen *de Herniis pag. 22.* notant. Scarificatione itidem eductum chylum narrat *Graff. Ephem. G. Anno 9. & 10. obs. 65.* Cum *lochiis* sub humoris albicantis forma excerni, non raro observatur, inquit Birn-Baum *de lact. defectu §. 8.*

V. Per *alvum* excerni solet, cùm Panni istius intestinorum carnei orificia, lacteorum vasorum oscilla obturata, obstructa, ab humore pituitoso viscido, vel, ut *Sylvius prax. med. l. 1. cap. 16. & Alii statuunt*, post abrasam hinc inde per dysentericos fluxus, crustam carneam cicatrice obducta sunt, cùm glandulæ mesenterii ex quacunque causa obstructæ sunt, cùm liquor in iis generatus nimia aciditate chylum in caseosam verti substantiam chylo succedenti transitum denegantem. In infantibus, ubi talis intestinorum incrustatio, lacteorum obstructio & glandularum mesaraicarum infarctus adest, nutrimenti via denegata, totius corporis tabes, accedente simul ut plurimùm alvo laxiore, sequitur. *Riverius med. pract. lib. 10. cap. 4.* in Pueris glandulas innumeras talis chylosi fluxus causam marasmum inducentem memorat. Filiolus Dn. *Caroli à* Pflug febri inordinata, cum materiæ albæ permixtione, & subsequenti macie insigni diu & per aliquot menses vexatus erat, ita, ut omnidiligentiâ licet adhibitâ, æger vix ossibus hæreret, vix præter animam residui quicquam haberet, vivæ mortis imago esset & delicatam, adhuc

adhuc

adhuc animam ob morbi vehementiam tandem efflaret. *Nobilissimi Parentes* suspicati sunt, morbum filioli per fascinum introductum esse; ut autem amplius ancipiti cura non distraherentur, extinctus filius aciei cultri anatomici subjiciebatur, ubi offenditur monstrosa hepatis magnitudo, Lien puncticulis tartareis refertus, ut describit *Bierling. Ephem. Germ. anno 2. obs. 152.* tandem subjungens: Glandulæ per totum mesenterium dispersæ scirrhosæ inveniebantur causæque mortis manifestè conspiciebantur. *Pecquetus de thor. lact. dissert. Anat. Exper. 1. pag. 109.* cum *Riolano Patre in pecul. sanandi methodo cap. 48.* chylosam diarrhæam, qua scilicet mixtim cum recrementis excernitur chylus, ex obstructo mesenterio deducit. Ab obstructis orificiis vasorum, quibus absportari debet chylus, fluxum chylosum oriri etiam tradit *Glisson. de ventriculo & intest. tract. poster. cap. 20. §. 28.* Receptaculum autem chyli, quin aliquando à *Vett.* pro abscessu mesenterii habitum fuerit, non dubito. Ubi autem chylus per alvum excernitur, Cœliacus, ut notum vocatur, fluxus, in quo chylus consentientibus Practicis sed modò solus, modò permixtus, modò integer, modò corruptus egeritur.

VI. Ex materiæ effluentis facie & colore, quo ptisanæ cremorem refert, ex sana mulierum, præsertim virginum, multos annos fluxu albo innoxiè laborantium constitutione, ex *Hœchstett. observat. decad. 4. cas. 1. Schol. Augustanis* grandioribus & parvis puellis & puellulis, virginibus & uxoribus frequentem fluorem album esse tradente, ex augente fluxus albos victu immoderato, imminuente tenuiori, ex subsequenti diuturnam durationem macie, moti *Quidam* fluorem album muliebrem, Gonorrhæam, Cœliacam, Vomitum album, Urinas lacteas & Sparganosin hodie ad fluxus chylosos referunt, omnium dictorum fluxuum materiam statuentes chylum abundantem, ex accidenti autem hoc habere, ut pituitæ aliorumque humorum aliquid se admisceat, imo *Klugius de fluxu chyli §. 6.* dicit. *Non absurdum est, sudorem statuere lacteum; Quod enim in sudore nonnunquam pituitosum viscidumq; in cute apparuit, quidni chylosum statui possit? Grass.* rarum lactis sed impropriè, ut vult, dicendi effluxum ex femore copiosum, aut chylum p. n. exsudantem,

tem, aut ſuccum nutritium per nervos excretum eſſe conjecturam fovet. *Ephem. Germ. anno 9.* & *10. obſ. 66.* Et dubio procul chylus corruptus in pueris verminoſis Urinam albo opaco tingit colore. Mictionem Urinæ albæ cum ſedimento inſtar cretæ albo non ſine moleſtia corporisque atrophia chyloſam vocat *Curioſiſſimus Mœllenbrocc. Ephem. Germ. anno 1. obſ. 89.* iſtiusque cauſam chylum in corpore cacochymico ob abundantiam ſalium ſylveſtrium acrimoniam contrahentem, non, quod *Alii* volunt, materiam alimenti terreſtris ſulphure non impraegnatam cenſet.

VII. Cùm Ergò per tam varias chylus effluere ſoleat vias, quidni & per Urinarias vehi ſeroque confundi poſſit? In Viis autem ad Urinarios ductus chylo ſternendis dum occupantur *Authores*, occurrũt tot obſervationes, inſignia corpora ſolida, animata, inanimata, naturalia, artificialia, mineralia, vegetabilia, animalia deglutita per veſicam reddita fuiſſe, in memoriam revocantur celer vini, cereviſiæ, acidularum tranſitûs, color & odor aſſumtorum in emingi ſolitis, hinc varias formant vias. *Thom. Barthol. Mœbius, Everhardus, Schneid. Möllenbrocc. Niloë, van der Cruyce, Horne, Tillingius, Scaramuccius* & cum *His Alii* ordinaria hîc ponunt lactea vaſa; quæ tamen negant *Alii*, inter *quos* potiſſimùm *Warthonus*; Moſch, ſua rorifera *Bilſius*, lymphatica aſſignant, *Tillingius, Fairfax* & *Buſerius Gallus*; Hæc tn. Urinariis partibus adferre *Triga Virorum hodiè Celeberr.* L. *Schrœck. Junior, Peyerus & de Muralto* dubitant *Eph. G. Curioſ. decur. 2. anno 1. Schol. ad obſ. 142.* Hepar, Lien, huic etiam deſtinantur negotio; Exugere renes ex inteſtinis *Martini* vult, membranoſa & nervoſa transmeacula derivat *Hobokenius.* In Anatomia à D. *Gariep* inſtituta notavit *Veſenfeld* ductus ab inteſtino cœco deorſum ad veſicam vergentes, quorum ductuum frequentiorem & certam obſervationem deſiderat *Albrecht Eph. G. anno cit. obſ. 78.* Deſiderantur pariter ureteres ſuccenturiati breviores à ventriculo ad veſicam, quos *Andreæ* ſe reperiſſe dicit; è ventriculo per omentum, ſubtiliſſimos, licet latẽtes, meatus, recta ad veſicam, tendentes deducit *Celeb. Volcamerus.* Laudatus *Schrœck.* cum raræ ante allegatæ obſervationi, qua *Joh. Reinald. Bonajutus* è Laici Capucini Veſica flagri funiculũ inſignem probabiliter deglutitum extraxit, Scholion ſubjungeret, proba-

probabile videri dicit, omnia in ejusmodi casibus p. n. fieri & non sine violenta partium disruptione aut penetratione corpora solida ad vesicam pervenire & non solùm hîc sed, & in aliis partibus id præstare Naturam ex *Tulpio*, *Moinichen*, *Roderico à Castro*, *&* *Paræo* monstrat, subjungens egregium de his locum ex *Famiger. Dn. D.* Frommann/*tract. de fascinat. l. 3. p. 6. cap. 16.* Sæpius vias novit Natura, quas non quivis statim perspicit, *Roderic. à Castro, quæ ex quibus, l. 3. cap. 2. & 3.* scribit: Metastasis sive humoris in morbis transmissio, non solum per vias manifestas, sed etiam per occultas fit. Incognitas, intelligit, nobis, Naturæ verò cognitas. Celer transitus cum ordinariis per arterias viis videtur adhuc stare posse, cùm non solùm ad Urinarias vias, sed etiam ad cutem, ad partes tam internas quam externas celerrimè quasdam ciborum particulas mutatas tamen vehi, alteratio mox à cibo sumto superveniens, quod vel soli scabiosi docent, monstret. Particulares vias *Zypæus* dicit se non omninò rejicere, sed detegendas sperare, usque dum autem detegantur, plausibiliter posse sustineri viam sanguinis, *Fundam. Med. part. 3. cap. 3. art. 18. §. 6.* In Hoc Nobili *solum* prodiisse cum Urina *chylum* ego *non* censeo; nam cur alius coctionis sordes non etiam adfuissent, quî tanta chyli copia excerni potuisset absque virium jactura, absque corporis tabe; Habitus enim corporis decrementum, colorem faciei pallidiorem & inertiam quandam ad studia & severiores sive meditationes sive lectiones pro argumentis profluvium chylosum probantibus adducit *Clariss. Wepferus, magno Wepfero dignus Filius, de Fluxu Cœliaco thes.* 1. nam dolorem induxit, quod chylus solùm abundans non facit. Tam malæ itidem concoctionis signa non adsunt, quo in casu à chylo contentorum Urinæ originem repetendam non esse *Barthol. ad Horst.* scribit *Act. Hafn. Volum. 5. obs.* 2. Symptomata etiam nonnunquam talem Urinam comitari solita abfuerunt; sic, de qua *Cnœfelius Eph. G. anno 4. & 5. obs. 53.* scribit, urina crassa alba filosa, vigilias primò, maciem, pòst tumorem pedum junctum habuit. *Solum chylum*, dixi; nam suum etiam huc contulisse symbolum chylum corruptum unà cum aliis ex seqq. patebit.

VIII. Huc etiam refertur, *Succus Nutritius nervinus*, quem ordinaria via per nervos partibus pro ipsarum nutritione affluere, p. n. hic ibi excerni & cum Urina eductum ipsam tingere *Celebres quidam* hodie *Medici* statuunt. *At* succus ille nutritius receptus in Oeconomiam corporis nostri, in civitatem humanam cooptatus nondum est.

IX. Tingit & Urinam *Lac*, quod per vesicam & uterum mulieribus copiosè expurgari apud *Schenck. lib. 2. obs. 285. Capellus* & *Bauhin. Highmor. disquis. Anat. lib. 2. part. 1. cap. 2.* testantur, & fieri, sed rarius consentit *Barthol. Anat. reform. lib. 2. cap. 1.* & *de Lacteis Thor. cap. 10. Andr. Laur. in Anat. f. 102. & f. 221.* parum ante partum, ait, nonnunquam mulieribus contingere, ut loco Urinæ emittant Lac, ubi sc. propter sanguinis affluentis copiam mammæ turgent & plus recipere non possunt, refluit sanguis jam jam in Lac conversus & in via non nihil alteratus per certas venas ad uterum & vesicam: quomodo autem hoc fiat, & quales illæ sint venæ, ulterius non explicat: Sunt verba *Hœferi Hercul. Medici lib. 7. cap. 3.* Vias, ab *Authoribus* indigitatas, monstrat *Celeberrimus Acad. antiquissimæ Heidelberg. Professor Dn. D. Francus in Satyra Medica de triplici lacte Virginis §. 60.* Ex aliis etiam locis p. n. profluere solet, sic ex brachio fœminæ mammarum cancro laborantis non pus sed lac aut certè serum lacti simillimum profluxisse observavit *Celeberrimus Borrich. Actorum Hafn. Vol. 2. obs. 83.* Nostri ægri Sexus *Lac* Urinam *non* tinxisse dicit.

X. Commiscetur quoque *Mucus vesicæ* limosus, glandularum soboles, interiorem ejus tunicam quasi incrustans & contra quasvis præsertim acrimoniæ Urinæ injurias muniens, qui ob varias causas, calculum, medicamenta etiam nimium Lithontriptica, vehementiora, acriora diuretica, abrasus cum excernitur Urinam albedine lenta inficere valet. Hîc quandam ejus portionem reliquis junctam *non* negaverim.

XI. Conspicitur album Urinæ contentum in Ægris quibusdam, queis *sanguis* est *Laxus nimis*, consistentia debita destitutus, cujus fibræ dissolutæ in tenuissimam pulpam quasi redactæ sunt, qualis materia, licet inter rariores casus sit, in malignis febribus hic

B vel

vel ibi & cum Urina etiam educi solet. Quò forsan referenda illa, quæ *Hippocr. Coac. prænot. 580.* dicit: Perniciosa Urina est in acutis, quæ grandinem refert & genituræ similis effunditur doloremque exhibet. At *nulla* hic febris, nulla talem sanguinis colliquationem necessariò insequentia symptomata fuerunt.

XII. In Urina albicante apparet *Semen*, Virorum, raro propriè ita dictum, frequentiùs liquor urethram & glandem humectare solens, solus aut cum isto junctus, in se non magis semen quam Pater qui patrare nequit; Mulierum, raro humor ille ovorum sive vesicularum, frequentiùs liquor ille genitalis sive seminalis glandulosorum vaginæ corporum soboles; semen, quod modò cum, modò sine dolore, modò cum, modò sine voluptate, modò tenso, modò laxo in viris membro effluit, in vigilantibus, dormientibus, Epilepticis, alvum dejicientibus, à venere irritatis & non irritatis, sine, cum coitu in Gonorrhæa simplici & venerea extillat. A purgantibus sub alvi induratissimæ excretione & mares & fœminas cum & sine delectatione excrevisse liquida è genitalibus singularia quædam recenset *Celeb. Ludovici Eph. G. anno 9. & 10. obs. 156.* Non tamen illorum consentio sententiæ, qui istum copiosum humorem in Gonorrhæa præsertim virulenta, cum salaces juvenes à prostibulis numisma venereum pro auro permutant, excerni solitum, pro semine habent cum totius M. sanguineæ soboles sive ipsius sive partium seminalium vitio infecta sit, quod copia, odor, color, diuturnitas probant; Et in tali casu, semen, humores corrupti, & pus ab invicem probè discerni debent. *Lang. Epistol. Medic. l. 2. Epistol. 5.* inquit: Hoc te admonitum quoque velim, Hippocr. hanc viscidam & putridam & aquosam humorum colluviem, cum per universos genitalis seminis meatus ad pudenda deferatur, ac ob id cum momento seminis crudi excernatur, hanc semen quoque aut menstrua pituitosa passim appellare. Quis obsecro credere potest, hanc esse verum prolificæ genituræ semen? cum illius excretio annum aut quinquennium illæso vitali robore, durare possit? *Heer obs. l. 1. obs. 18.* monet: *Notent juniores Medici, à paucis enim observatum invenio, Semen, pus, pituitam, etsi sæpè eodem candore in Urina se exhibeant, facile tamen à perito ita discerni;*

ni; ſemen ab aliis ſeparatum circa ſumma natat conſtanter nec ſidit agitatum, ne quidem in Gonorrhæa: pus & pituita fundum petunt, ſed ad minimum motum pus omninò diſſilit, ut viſum pene fugiat, Urinamque galactoidem exhibet. Pituita gyratur: puriformia partim diſſiliunt, partim rotantur, &c. Semen hic *non* fuit, quod cum Urina excernebatur, albicans enim illud ſubſidit, cum ſemen ſupernatare ſoleat Urinæ, cui in pollutione nocturna aut Gonorrhæa commiſcetur, etiam agitatum, niſi ex parte in Gonorrhæa virulenta, in qua fœtor adeſt puris emiſſi, & ſi aliquandiu duravit, livor accedit, ne dicam nulla alia Luis Venereæ deprehenſa hic fuiſſe ſigna. Et unde tanta copia, quò tandem ejus tanta excretio duxiſſet, ſi fuiſſet ſemen?

XIII. Albedinem Urinæ inducit *Pituita;* ubi non intelligo pituitam ſeu phlegma, quod ut *Avicenn.* dicit *Fen. 1. doctr. 4. cap. 1. Naturale, quod aptum eſt, ut in aliquo tempore fiat ſanguis, quoniam eſt ſanguis non plenè coctus & eſt quidam modus dulcis phlegmatis, quod non valdè exiſtit frigidum, imò, corporis comparatione eſt frigiditatis paucæ, ſanguinis verò & choleræ rubeæ eſt frigidum.* De quo *Fernel. de funct. & humor. l. 6. c. 4. Pituita ſupervacua cenſeri non debet, cum ſit ad nutriendum apta; neque præterea muco mananti è naribus, neque ei lentæ craſſæque pituitæ ſimilis eſt, quam in ventre & inteſtinis neceſſariò gigni perhibent.* Non, inquam, illam intelligo quam adducunt *quidam Authores* crudiorem chyloſiorem ſanguinis partem in ipſum adhuc mutabilem, nondum enim res penitùs expedita eſt, an iſta pituitæ nomen ſuſtineat, ſed p. n. genitas in ſanguine hærentes, minùs activas, minùs volatiles, torpidas, inertes, craſſas, viſcidas, crudas, nutritioni ineptas particulas; crudum ſanguinis, quod quia ſpiritibus ſufficientibus deſtituitur, à reliquo ſanguine ſolvitur, διακρίσει vel ἀποκρίσει vocabulis Hippocraticis, ſerũ viſcidum, ſpiſſum, lentum, ſaporis per ſe expers, unde non tàm pituitæ, ſi vulgarem ſequimur nominis ſignificationem, quàm ſeri nomen ponendum fuiſſe videtur in verbis *Marci Marci de natura Urinæ* pag. 100. *Pituita ſi dicitur, addere oportet, qualis naturæ ſit illa pituita, an videlicet habeat in ſe Tincturas (natura humanâ potẽtiores) acres, ponticas, acerbas, ſtipticas, Ѳſas, acidas, amaras,*

 Sul-

ſulphureas, bituminoſas &c. Henricus Martini Anat. Urinæ Gal. ſpagyr. c. 5. dicit : *Omnis pituita reſoluta Urinam reddit Glaucam non craſſam, ſicut omne phlegma liquefactum Urinam reddit albam lacti acetoſo ſimilem. Quæ autem incraſſata eſt à frigiditate pituita, ſi illa ſit humor crudus, à remiſſiore frigiditate ortus, Urinam reddit lacteam & craſſam inſtar fungi; ſi pituita mucoſa, distinctè frigida dicta, Glaucam & mucoſam. Si pituita vitrea ſive Albuminea, quæ minus craſſior ſed magis lenta, à majori ſc. frigiditate craſſam, & pellucidam, ſi ſc. æqualiter fundatur, aliàs craſſam genituræ ſimilem.* Serum viſcidius ſpiſſius *Noſtro in Caſu* inter alia adfuit, ut dicam infra, ſed hoc nondum omnem abſolvit paginam.

XIV. Apparet non rarò in Urina *Pus*, quod non ſolùm in hepatis Abſceſſu, Pleuritide, Phrenitide, Angina, Peripneumonia, Empyemate, Phthiſi aliquando Urinam *tingere*, cumque ipſa profluere obſervationes *Medicorum* docent, ſed & potiſſimùm ab inflammatis, exulceratis, vulneratis, aliove modo læſis renibus, Ureteribus, veſica, urethra effluit. Ulceratorum renum ſigna proponit, *Hipp. ſ. 4. aph. 75. & 76. Si ſanguis & pus cum Urina reddatur exulceratæ veſicæ aut renum ſignificationem præbet. Et: Quibuscunq; cum Urina craſſa carunculæ parvæ aut veluti capilli quidam exeunt, iis è renibus excernuntur.* Priorem ut plurimum, non ſemper verum, *Interpretum non Unus*, in poſteriori disjunctivum aut addi ſolitum præter Hipp. intentionem inſertum dicunt *Quidam*. In illo ſanguinem aut pus rectè ponit *Hipp.* non ſanguinolentam aut purulentam Urinam, hæc enim à ſuperioribus partibus derivatur, cum ſanguis aut pus cum ſero in renibus miſcetur, in renibus verò aut veſica ulceratis ſanguis aut pus miſcentur, ſed ſeparantur poſtea. Aliàs, ſecundùm *Practicos*, ſigna ſunt, dolor in lumbis gravativus, Urina ſine impedimento reddi dicitur (de quo dubito) pus ſibi permixtum habet, aut ſanguinem aut utrumque, nonnunquam particulas carneas, filamenta, abſceſſus, vulnera, calculi, medicamenta acria, cauſæ externæ violentæ præceſſerunt. Pus emictum à Noſtro Ægro non admitto, quia abſceſſibus internis, unde pus cum Urina profluere ſolet jungitur lenta febris, tabes, Urinæ fœtor & ſimilia, hæc autem à noſtro abſunt; quia ex renibus & veſica non profluxit,

intra

intra istud enim tempus, major longè quàm ipsi renes cum vesicâ si in putrilaginem ulcerosam penitus abiissent, copia excreta fuit; nec obstat natura ulcerum rhevmaticorum, dum humorum ad partem affectam fit affluxus, majorque eorum effluit copia, quàm pro magnitudine ulceris fieri debet, quod & plerunque ulcera circa loca nervosa tendinosaque oborta faciunt, unde talis ichoris intra horæ spatium duas ℔. profluxisse vidit *Fabricius Hildanus*, ante enim puris excretionem necessariò adesse debuisset dolor non parvus, cùm nullum ulcus fiat, sive pus generetur sine dolore, nec Meliceria talis in se acris est, ut in excretione dolorem pariat intensissimum, nisi, non solùm partes membranosæ, nervosæ ac tendinosæ, quæ eam mittunt, sed & totum systema corporis sit summè corruptum; Accedit, malum hoc, quod in ulceribus dictis rarissimè imò vix contingit, penitùs eradicatum & sublatum fuisse, nullum inflammationis, vulneris aut abscessus signum præcessisse aut junctum fuisse; & in talibus casibus pus antecedere urinam vel sequi plerumque solet, agitatione dissipatur omninò vel diffluit pars crassior quandoque in gyrum agitur, pus facilè dissolvitur, pituita verò glutinosa est. Quæ cum Nostrâ Historiâ collata pus *excludunt*.

XV. Albicat aliquando in urinâ *Mucus narium*, cujus copia crassum album urinæ contentum imminuere defectus augere haud raró per alternationem solet. Hîc verò copia dicti muci absens illum *removet*.

XVI. Urina mucosa alba excernitur etiam ob *Calculi materiam* nondum coagulatam; Calculosi enim non pauci emittunt vel cum vel mox post urinam mucum album viscidum, qui facilè coagulatur; Sunt &, qui talem postea concrescentem mucum nondum calculosi egerunt, mineram futuri calculi proximam. *Observavi nonnullos calculo vesicæ laborantes, qui postquam urinam deposuere, cum magno conatu & dolore succum crassiorem & viscidum excernere solebant, qui illicò in materiam squamosam obdurescebat: hujus odor fuit lixivialis, & consistentia qualis lixivii ad spissitudinem evaporati, cujus scilicet liquor crassior factus & frigori expositus, protinus in duritiem salinam obrigescit:* inquit *Willis l. c. cap. 5.* & sub finem cap. *Ubi lapis in rene aut ve-*

ſica defigitur, humor nutritius ibidem ab aſſimilatione pervertitur, & in mucum craſſiorem degenerat, qui valdè copioſus coacervari ſolet; veluti ichor qui propter globulum in fontanella poſitum ubertim exſudat. Iſte autem mucus cum ſero ablutus, ſedimentum illud album conſtituit. Brechtfeld. *Act. Hafn. vol. 3. obſ. 70.* Filiolam bimulam cum urinâ emiſiſſe materiam albam mucilaginoſam narrat, quæ ſtatim ab externo aëre in ſubflavum oblongum riguerit calculum, adde *Schulz. obſ. quæ 126.* eſt in *Ephem. G. anno 6. & 7.* Nec ſolùm calculi materia ſed & ſignum aut effectus eſt. *Tale phlegma non ſolùm in urina veluti cauſa materialis calculi, hoc eſt, tanquam materia, è qua calculus vitam ducit ac generatur, ante & priusquam calculus ſubſedit, & coagulari cœpit, cernitur; Sed viſcida illa urina in ægris vulgò tamdiu, quamdiu veſica calculo affecta eſt, imò quo magis creſcit calculus, eo etiam majore in copia viſcoſitas hæc in urina deprehenditur. Quoniam ea veſicæ eſt natura atque proprietas, præſertim quando circa collum læditur & ab acrimonia calculi irritatur & vellicatur, ut talem urinam viſcidam & excrementoſam progeneret. Dico autem vulgò, quoniam in calculoſis quibusdam urina etiam pura claraque remanet.* ſcribit *Guilh. Fabric. de Lithotom. veſic. c. 3. Joubertus de Differ. urin. c. 1.* Veſicæ calculoſæ excrementum mucum iſtum dicit. Talem urinam craſſam, mucoſam mingere illos, qui calculo veſicæ à renibus delapſo laborant, ſtatuit *Proſper Martianus Comment. in Hipp. de Aëre Aq. & Loc. Sect. 1.*

XVII. An calculus renum vel veſicæ noſtri inhabitaverit ægri corpus, per ſignorum ſeriem diſquirenti mihi mox occurrit *Joh. Baptiſta Sylvat.* qui *controv. 32.* poſt prolixam diſputationem tandem calculum renum & veſicæ pathognomonicum ſignum habere negat, imò nec ſyndromen ſymptomatum pro certo ſigno admittit. *Vid. etiam Verzaſch. obſ. 52. Thom. Barthol. cent. 4. Hiſt. anatom. 28. Crat. conſil. 315.* Optimum quemque iſta quandoque ſigna fallere poſſunt, & ſpurius alienusque dolor haud rarò pro calculo imponit, nè quid dicam de fraudibus & technis veſpillonum, quarum aliquas detexit communis utrique amicus dans la legende du Gaſcon. dicit *Exc. Pechlin. in Epiſt. ad D.* von Hammen, *Aphor. ſ. 4. 79.* quales lites *Interpretibus* move-

rit,

rit, quales labores, quomodo occasione ejus dimicarint *Salmasius & Beverovicius*, notum; *Prosp. Mart.* nomine *Hipp.* indignum dicit. Proponi autem solita recensebo. Signa calculi renum ex *Hipp.* adduci solent in *l. 6. de intern. aff. vers. 334. Dolor acutus in renem, lumbos, & testem ad renis regionem ingruit, frequenter urinam reddit & paulatim urina supprimitur, simulque in ea arena egreditur & cum per urinæ fistulam arena exit vehementem in ea dolorem exhibet &c. lib.* vero *6. Epidem. comm. 1. text. 6.* sequentia habet *Dictator: In renem dolor gravis, cum replentur cibis vomunt pituitam, cùm dolores abundaverint æruginosa & melius habent cum cibo deplentur, arenulæ rubræ subsident, cruenta mingunt, stupor femoris è regione positi. Senn. pr. l. 3. part. 7. sect. 1. c. 6.* Signa calculi renum ponit, dolorem lumborum, modò in rene dextro, modò in sinistro, modò in utroque, inferentem ponderis gravantis sensum; ubi verò ex renibus in ureteres descendunt calculi, auctum, concitatiorem, & acutiorem, urinam cruentam, urinam paucam, tandem nullam, urinam arenosam (quæ tamen universalia non dicit) calculum è renibus cum urinâ excretum, stuporem cruris è regione renis affecti, testiculi retractionem, nauseam vomitum, causas ad istum gignendum prægressas aptas, urinæ tenuitatem, post crassitiem. Vesicæ calculi signa *Hipp. l. 4. de morb.* assignat dolorem sub emissione, urinam paulatim fluentem, sicut in Stranguria, vesicæ inflammationem, urinam subcruentam, nonnunquam arenosam nonnunquam & lapidum cum urinâ excretionem l. vero *de aër. aq. & loc.* addit impeditam mictionem, pudendorum frictionem, penis tensionem, ponderis in vesicâ sensum, ægrorum motum, cerebrum absque quiete, tenesmum; His urinam limpidam, crurum complicationem, frequentem ad mejendum stimulum sitim intensam & explorationem per digitum & catheterem addunt *Authores.* Horum ergò adductorum signorum plerorumque absentia, curatio absoluta, nullum hactenus tale symptoma observatum à calculo renum & vesicæ *Ægrum Nostrum absolvunt.* Formant aliàs communiter Practici præsagium tale: Quando per longum tempus citra crisin urina emingitur crassa, turbida, absque ullo in diæta ægri excessu, dolore renum accedente & postea tenuis excernitur, minera calculo

gignendo

gignendo apta, eaque retenta & coagulata calculus ſignificatur. At univerſale hoc non eſt, hîc calculi ſuſpicio exſpirat, & vocabuli vi extenſa, criſin abfuiſſe non dicerem. Mucoſumque urinæ contentum, non ſoli nec omni renum aut veſicæ ulceri aut alii affectui convenire, adeoque etiam ex ſuperioribus partibus (addo ego ſanguine) derivari probat *Prævotius Act. Hafn. vol. 4. obſerv. 34.* An aptitudo adfuerit, ex infra dicendis patebit.

XVIII. Monſtrat aliquando urina alba craſſa *Cacochymiam totius. Sennertus,* cùm materiam albam viſcoſam tenacem ac craſſam narium mucum referentem per aliquot ſeptimanas cum cruciatu in tantâ copiâ rejectam obſervaſſet, ut impoſſibile ſit eam ulceri cuidam adſcribere, cacochymicos humores ultra renes ſitos pro cauſa agnoſcit à Natura per has vias evacuatos; adductus felici ipſius curationis eventu, quo nec ulceris nec calculi ſuſpicio relicta fuit. *Mœbius* ſedimentum urinæ inſtar cretæ album varians, materiam alimenti terreſtris ſulphure non imprægnatam in Hypochondriacis reperiri dicit *Epit. Inſtit. Med. Lib. 3. part. 1. ſect. 3. cap. 9.* Inſigne exemplum in Pædagogo mictionis albæ craſſæ viſcidæ per 10. menſes ſine intermiſſione absque corporis extenuatione aut alia moleſtia præter dolorem inter mingendum, non cedentis ulceri renum opponi ſolitis, non vino malvatico, non ſtomachicis, non Anti-ſcorbuticis, recenſet *Rayger. Eph. G.* anno 3. obſ. 284. quam ſobolem cacochymiæ totius fuiſſe ego cenſeo. Fluor iſte albus & Ægras & Medicos ſæpè diu fatigans à tali cacochymiâ, à purgatione totius ſanguineæ M. oriri ſolet, quocunque demum vitio illa heterogenea hanc inficiant. Raro enim Caput ſolum, quod *Quidam* accuſant, cauſæ locum ſubit. Et quis tantam ſolius chyli copiam, absque majoribus incommodis excerni crederet? ſolius, inquam, nam cacochyliam à cacochymiâ hîc non ſeparo. Novi quidem iſtam inter *Celebres Medicos* dimicationem, dum una pars in uterum hujus mali cauſam rejicit, altera ab hoc eundem abſolvit. Illius partes agunt *Mercurialis, Roder. à Caſtro, Zac. Luſit. Fernel. Montan. Saxonia, Heurn.* &c. Hujus *Donat. Anton. ab Alto mari, Corteſius, Maſſar.* Singuli pro ſuâ ſententiâ *Galeni, Pauli* & *Avicennæ* Authoritates inſtar cerei naſi trahentes & torquentes. Cenſeo ego, ſæpius non uterum aliquid

liquid

liquid huc conferre aliud, quàm heterogeneis ſanguineæ M. ac ſeri particulis viam concedendo; aliquando tamen ob vitium proprium ulceroſum, quocunque modo voces, ſanguinem alluentem, ſatis adhuc laudabilem, demum inficere, ceu & aliarum partium tàm internarum quàm externarum ulcera faciunt. Hinc non conjuges ſolùm & vitiatas, licet id velit *Joh. Bapt. Montan. tom.* 2. *Gynæc. pag.* 207. ſed & virgines imò puellas, ut *Smetius* in duabus tredecennibus, *Fernel. Bartholin.* & *Neſter.* in octennibus, *Ballon.* in ſeptenni, *Kölichen* in ſexenni, *obſtetrix Gallica* in quinquenni, *Riol.* in trienni, *Schneid.* in bimeſtri & trimeſtri puellis obſervarunt, infeſtare tale profluvium ſolet, quod tamen à muliebri Gonorrhæa tàm ſimplici quàm venerea, tàm diurna quàm nocturna, tàm benigna quàm virulenta probè diſcernere neceſſarium & prudentis Medici eſt. Illuſtrem Perſonam novit laudatus *Pechlinus*, quæ 7. ætatis anno fluorem experta eſt album & ſeroſum magno virium colorisque diſpendio, quæ tamen diligenti Medicorum curâ ſervata adhucdum degit incolumis; Utrum ibi ſeptenarii quædam prærogativa, ipſeque indicium 14. fuerit, ſuſpicatur *Ephem. G. anno 9. & 10. obſ. 28. Winclerus in dictis Ephem. anno 6. & 7. obſ. 103.* fluorem album deſcribit, quem perſona quædam ſibi contraxit à variis in diæta vitiis, inter quæ ſingulis, dum haberentur, diebus 4. melonum comeſtio. An de humoribus *Noſtri Nobilis*, antequam corpus actu læderent, Cacochymiæ nomen propriè acceptum dici queat, forſan non immeritò *dubitatur.* Nulla enim ab illis corpori inducta anteà fuit læſio. *vid. infra.*

XIX. In ſpecie *Scorbutica* nonnunquam talem efficere ſolet urinam. *Non rarò in pelvi, ſuper emiſſo ſanguine ſcorbuticorum humorem quendam album gelatinæ non abſimilem vidi, imò in Generoſo Domino Joh. Henr. Rieteſeln, Vinariæ Conſiliario Aulico* &c. *obſervavi ſanguinem beneficio cucurbitularum ſcarificatarum extractum in uno loco inſtar cinabaris rubrum, in altero inſtar lactis album;* inquit *Mœllenbrocc. de Arthrit. vag. Scorb. cap. 8. §. 10.* quod & *Barthol.* ac *Worm.* ut in *Illius Hiſtor. Anat. 17. Cent. 1.* cernere licet, obſervarunt. In mictione pultacea, à chylo malum morem induente, inſignem dolorem creante

aliam curam instituendam non esse suadet *Drawiz. l. c.* quàm, quæ in scorbuticis renum & vesicæ aliorumque vasorum urinalium dolorificis affectibus institui solet. Effluxisse cum urinâ albam, crassam, viscidam materiam, exiccatam, subtilissimum sabulum æmulantem, in puero, non quidem continuè sed per intervalla, de quarto in quartum & de 14. die in 14. tùm cum stranguria valdè dolorosa & apparentibus in crure ac sinistro brachio maculis scorbuticis, sine ullo alio scorbuti, affectus alias ibi locorum satis rari, signo recenset *Rayger. l. c.* istumque affectum ab Egranis acidulis integrè sublatum. In Hoc Subjecto *neque* ante, *neque* in, *neque* post hanc mictionem ullum apparuit scorbuti propriè dicti signum.

X X. Confunditur quoque urinæ *Mucus circa articulos* p. n. detineri, gigni, colligi solitus, Arthritidem etiam producens. *Platerus refert, se vidisse nodos à cubito ad carpum usque deductos & veluti cohærentes in podagrico quodam natos, ex illisque ruptis, pultem albidam emanantem. Simile quid ante annos aliquot in se observasse retulit nobis Vir quidam honoratissimus graviter hoc morbo per multos annos vexatus, huic natum erat tuberculum nodosum oblongum à media ferè tibia ad astragalum usque protensum, quod cum temporis successu mollesceret, ab ipso ægro cultello apertum est, materia albicante pultacea cum ipsius admiratione profluente,* scribit Danckwarth *de Arthrit.* Talem autem pultem albam urinæ permisceri *Hipp. Aph. 74. s. 4.* de *indicat. vers. 122.* & potissimùm *lib. 2. prædict. vers. 142.* docet, ubi inquit: *Urina crassa albam subsidentiam habens, aut circa articulos dolorem aliquem, aut tumorem significat.* Liquor nimirum, mucus sive gluten per nervos diffusum mite, blandum, suave, dulce aliàs degenerat, acredinem, aciditatem contrahit, ob chyli, sanguinis, seri, particulas acidas, justo acriores non solùm, sed & ob proprium, ipsius fonte infecto, partis vitium. Talis acidus succus cum alcalico ad concrescentiam prono, obvio unitus facilè concrescit, soliditatem acquirit, in tophos, qui calcem & gypsum referunt, in arenulas abit, qui tophi non in articulis solùm, sed & aliis partibus nonnunquam enasci solent. *Kerkring. Spicileg. Anat. obs. 28.* podagricum describit, cui calci similis

ma-

materia, undique ex corpore effluebat, ipſis etiam ſputis calcis conſiſtentiam acquirentibus, quam materiam cum Vulcani adminiculo examinaret, ſpiritum quendam, inter ſpiritum tartari & ſalis armon: quodammodo medium, oleum ab oleo tartari vix diſtinguibile, & ſal fixum eduxit. *Excell. Meibom. de calcul. ren.* §. 52. lintea, quibus pes hydrope tumidus disruptus magnam ichoris copiam fundens, involvebatur, exiccata tota arenulis obducta obſervavit. *Celeberr. J. D. Horſtius*, ſudorem arenoſum in mammis & manibus Illuſtriſſimæ Matronæ digitorum apprehendentium veſtigia relinquentem deſcribit *Manud. ad Medicinam part. 1. pag. 191.* Gypſeam avium cretam, de quâ etiam *Harv. de gener. animal. exercit. 6. & 10.* ejusdem materiæ cum tophis Chiragricorum eſſe vult *Antonid.* van der Linden, *Select. med. exerc. 5. §. 31.* In Noſtro Caſu muci iſtius cum urinâ poſtmodùm excreti Arthritidis cauſæ *portionem* dictus nervinus liquor corruptus conſtituit.

XXI. Jam *Qualis Hic* à Noſtro Ægro excretus *Mucus*, quæ iſta calcea puls, unde genita fuerit, brevibus exponam. In *Hoc Ægro*, ſanguinem copioſum, ſed minùs activũ, non valdè ſpirituoſum, in vaſis, quod Temperamentum indicat, circumgerente, ſtamina ſive prima ſemina à Parente Podagrico-Nephritico ipſi communicata ad ſalſedinem, aciditatem prona fuerunt; cui hæc vocabula à ſapore deſumpta non ſapiunt, me non renitente, acrimoniam aliis explicet. Iſta per vitam militarem aucta non parùm fuerunt, in Hac enim, à ſummâ plerumque neceſſitate, aliquando à juvenili æſtu rerum ſic dictarum N. N. uſus in maximum abuſum torquetur, in turbatam confuſionem agitur. Miles enim aërem modò experitur frigidum ad rigiditatem ipſum adigentem, modò æſtuat, fervidiſſimo ſub cœlo ad diſſolutionem usque virium, modò exiccatur, modò inundatur, ab externi aëris injuriis corpus. Quæ talis hominis eſt victus ratio? Hodiè jejunio maceratur, altero vel tertio die ingluvie ſtomachum fatigat, edit enim quando & quod ſuppetit, frequenter cruda, rariùs debitè præparata, hodiè vinum ad ſatietatem, cras aquam bibit putridam; quantis laboribus ac vigiliis vires æſtate conſumuntur, quali ècontra non raró in hybernationibus otio ac ingluvie opprimuntur!

muntur! Quis Excretorum ac Retentorum ſingulorum inordinatus hic ordo? quanta vehementia, turbatio ac impetus variorum Animi Pathematum? quàm ſubitæ circa ſingula dicta mutationes? Huic ſuccedens aliud vitæ genus, partim quodammodò iſtas degenerantes obtudit moleculas, partim auxit, per curas nempè nimias, hæ enim ſpiritus diſſipant, enervant, coctiones impediunt, fermenta turbant, ſanguinem degenerare faciunt. Hæc effecerunt, ût in Ventriculo ſaliva, menſtruum gaſtricum, aut calor ſuo non fungi valerent officio, hinc cibi non volatiliſati debitè, volatiles in iisdem particulæ non evolutæ, liberatæ, chyli character non impreſſus fuit, ut à triplici in inteſtinis humore non elaborarentur ad perfectionem juſtam, ſed linqueretur liquamen crudum viſcidum, chylus fæculentior, crudior, acidior, fixior; ut Viſcera ſanguinis generationi ac depurationi dicata, ut glandulæ in ſuo torperent munere, hinc ſpirituum quædam paupertas, ſanguinis non juſta craſis; ut Solidæ Partes in privatæ coctionis, nutritionis ſordibus abigendis aliquantum deficerent; Inde copioſum, lentum, generatum ſerum, cujus tamen particulæ ſalinæ acidæ diu in corpore hæſerunt, antequam actu læderent, nondum enim ſui erant juris, ſed ſub frœno ſub jugo adhuc, quod ſæpiùs contingit, ut ſcitè *Plato* dixerit: *morbos ſæpè nobiſcum naſci, aut educari & non ſecus ac Barbam ſuo tempore erumpere;* Et ſalia, ſulphura, varias activas particulas etiam diu in liquidis latere, nullam ſæpè exerere vim, uſque dùm reſolvantur, liberentur, in regno naturali, facilè licet oſtendere. Tandem autem dictæ iſtæ in corpore particulæ dubio procul Arthritidem aut Nephritidem jamjam excitaturæ, reſolvendæ, hîc vel ibi in fluorem abituræ, à Naturâ, hoſpitante in ſingulis corporis noſtri partibus majoribus minoribus ad machinæ vivæ integram conſervationem, quantum licet, omni niſu tendentibus ad renes detruſæ, à glandularum ibidem fermento potiſſimùm reſolutæ, liquatæ per ureteres ad veſicam deductæ & per urethram eductæ ſunt ad alleviationem corporis, propter quod, licet p. n. ratione excreti & doloris juncti, hoc factum fuerit, Criticam, ſi latiùs extendo nomen, & omni ſymptomatico nocenti deficienti fluxui oppono, vocare potero hanc mictionem; Sin ſtrictioribus includo terminis, Symptomaticam,

cam, ægro tamen proficuam; Ceu in aliis etiam casibus per has vias cum lotio varia ad levamen corporis cum εὐφοϱίᾳ educuntur, materia tamen excreta p. n. genita. Non autem solùm istæ minùs debitâ crasi ac texturâ præditæ, sed & laudabiles quædam, non copiosæ, sanguinis ac seri particulæ simul liquatæ eductæ fuerunt, veluti in aliis fluxibus à fusoriâ fermentatione oriundis contingere solet. Viscida lenta crassa est illa materia sive contentum, quia nimirum ob lymphæ diluentis paucitatem, salium volatilium alcalium parcam quantitatem acidæ particulæ saturari desiderantes ad concrescentiam pronæ, lentorem talem inducunt, forsan successivè, nisi obviam iretur, cum muco articulorum glutinoso in tophos abiturum; vel, si magis placet, quia magis ramosæ, magis rigidæ in sedimentis crudis contentæ atomi sunt, paucæ verò subtiles interstitia illarum replent, sicque visciditatem efficiunt, aut ob pororum cum figuris ad id convenientiam, aut ob aliud; vel, si hæc non satisfaciunt, quod metuo, salinum inspissans aut seminale principium incrassans, me non repugnante, quis arripiat.

XXII. *Describo* ergò Mictionem hanc Pultaceam, quod sit: *Urinæ pallidæ, crassæ, cum contento albo viscido per vias urinarias excretio, orta à sero, salinis acidis particulis triplicis coctionis vitio genitis, in renibus resolutis scatente, ad levamen corporis.*

XXIII. *Subjectum* Hujus mictionis ardentis fuit collum vesicæ & urethra. *Causale*, Renes ab Opifice Summo corporis humani ad secernendum superfluum serum variis in triplici coctione genitis heterogeneis inebriatum destinati; & Remotius Viscera cum glandulis à suo officio per dicta aliquantùm abducta. Renes & Ureteres à muco hoc non doluere, quia celeriter transiit, non, ut in vesicâ, substitit.

XXIV. *Causa* hujus Mictionis Pultaceæ *Proxima Efficiens* fuit Natura, sive Archeus, sive partibus omnibus insita ad corporis conservationem, inclinans vis, educere, abigere hostem conans. *Materialis*, Viscidus lentus mucus, quem re unum, prout *Huic* vel *Illi Authori* blandiri quis velit, variis nominibus insignire, pituitam acidam, tartarum fecalem resolutum, sal acidum solutum,

 aci-

aciditatem fermentalem, ſpiritum vitalem, partibus ſpermaticis hoſtilem appellare licebit. *Hujus* Cauſa eſt fermentum in renum glandulis fundens, ſed aliquantum nimiùm, acidas & alias in ſanguine ac ſero affluente latitantes particulas: *Harum*, Ventriculus & Inteſtina, quæ portionem, Viſcera ac Glandulæ, quæ aliam, Privatæ, Nervoſæ præſertim, partes quæ ſuam itidem contulerunt portionem, ut ita chyli, ſanguinis, ſeri, privati nutrimenti, liquoris nervini corrupti fœtus ſit illa Puls. Horum omnium qualis *Cauſa* partim *Propinquior*, partim *Remotior*, dictæ res NN. fuerint, patet.

XXV. *Symptomatum* jam Rationes depromuntur facilè. *Puls* nimirùm iſtâ *calcea* ſoboles dictorum acrimoniâ ſuâ collum veſicæ & urethram, mucum, ibi aliàs demulcentem inficiens non ſolùm, ſed & abradens, in tenellas ſenſiles membranulas, aut fibrillas lancinando, rodendo, pungendo, agens, intenſum iſtum *dolorem*, *cruciatum* ac *ardorem*, mictionem non ardentem ſolùm, ſed & pungentem, rodentem, lacerantem, non propriè loquendo ſtranguriam, in qua ſtillatim, continuò aut frequenter emingitur, ad *ſudorem* uſque *frigidum*, quia ſpiritus in corpore noſtro à ſuo Directore ad Affectam dolore diſtortam nimium partem, mittuntur, excitavit; quo ceſſante, *laſſitudo* ob ſpiritus nimirum diſſipatos, ſupereſt; abſunt verò alia ſymptomata, quia iſtæ in corpore particulæ ſui nondum juris, vel, ut *Quidam* loquuntur, potentiam natura humana majorem nondum nactæ, nondum ſecretæ ſunt. *Anorexiam* aliqualem fermenti non debita activitas, aut ſpirituaſcentia, propter ſanguinem pituitoſiorem & ventriculi mucoſitatem genuit. Succeſſit verò aut potiùs juncta fuit *Arthritis*, articulis à ſeminali non ſolùm & hæreditario principio, ſed & dicto Rerum NN. abuſu diſpoſitis ad recipiendum mucum iſtum viſcidum ſecretum, imò etiam demùm ſæpè dictas particulas ſecernentibus, & ita dolorem membranaceis partibus inducentibus; Iſte autem dolor oritur, non tàm quia acres, acidæ, fluorem adeptæ atomi, ſive tartarus reſolutus membranaceas fibrillas, partes circa articulos vehementiùs immutant, efferveſcendo cum alcalicis ſuo ordinario pugili, quod aliquando contingit, quàm, quia ipſæ rodunt, acumine pungunt, vellicant, laceſſunt. Cur non alibi

etiam

etiam dolores, in viis præsertim, per quas transit, ab hoc viscido liquore, excitentur, non unam Rationem licet suppeditare; Humor non ubique sui juris, non secretus est, acidum quodvis in corpore specifico sapore textura singulari, ac proprietate seminali tinctum *Recentiores quidam cum antiquioribus Chymicis* dicunt. Vid. *Tachen. de princip. morb. cap. 8.* ubi inter alia etiam hæc: *Cæterum gubernator spiritus, pro particulari sua intelligentia, cum sit semper officii sui memor, nil aliud, quam synoviam exornat, præparatq; interim tamen nescit, quod eam aciditate suâ labefactet, ac individui ruinam ita laborando cudat. Synovia quoque vicissim metu vacui, magneticoq; modo, eundem in doloris tragædiam, nunquam attrahere desinit; & est, quod voluit Hippocr. Nesciunt quid faciunt, sed destinatum fatum explent.* In omnibus certè morbis particularibus texturam partis deprehendimus aptam, ut hic, non alius gignatur morbus. *Magna* istius contenti *Copia* successivè fuit educta, quia non chylus solùm sed & sanguis & privatarum partium liquores degeneres fusi materiam ipsius constituerunt. Nec mirandum, tantam copiam profudisse Ægrum, cùm ex aliis partibus, ordinariæ excretioni à Natura non dicatis, insignis sæpè profluat quantitas; *Excellent. Langelot.* narrat *Ephem. Germ. anno 6. & 7. obs. 12.* ex aure sinistra Principis cujusdam, cui præsentibus 7. *Famosioribus Medicis*, inter quos *Summi Pontificis Medicus Cubicularius*, trepanum jam jam capiti applicandum erat, stillasse serosi laticis sensim ad 8. libras.

XXVI. *Signa* suppeditavit Ocularis Inspectio. *Causarum*, proximiorum remotiores, obviæ causæ, & symptomata relata, ut jam explicuimus, signa fuerunt. Talia enim externa chylum, talis chylus & copia excreti, similitudo, sanguinem, hic serum, hæc cum Arthritide, etiam nervinum liquorem peccasse ostendunt. In *Prognosi* vix tàm brevem durationem & citam liberationem promisisset *Medicus*; Non enim uno saltem menstruo spatio absolvi solet mictio pultacea, præsertim si materia quotidiano à reliquis circa 6. rerum N. N. usum, recessu, visceri uni vel alteri in officio deficienti offeratur. Hîc verò expulsis, licèt cum dolore & aliquali etiam laudabilium infectorum eductione,

hete-

heterogeneis, pòst viſcera cum Glandulis ſuo ſatis fecerunt officio.

XXVII. *Curationem* aggreſſurus *Medicus*, Non ſuaſit illud, quod aliàs Vulgus in uſum ducere amat; nec enim cum illis facit *Medicis*, qui contra Vulgum in talibus ſapere nolunt; deſcribitur à *Drawiz de Scorb. Art. 9. pag. m. 380.* Non, inquam, talia vanæ plebis obſervavit ludibria, ſed medicamentis debita methodo obſervata, eò reſpexit *Medicus*, ut *acres, acidas in ſero moleculas, dolorem inducentes imminueret, demulceret, mitigaret, oblineret, ut fuſionem iſtam nimiam futuram inhiberet, ut pituitam ſive mucum attenuaret, & ſpirituoſas ſanguinis particulas reſtauraret.*

XXVIII. *Purgans Potio exhibita fuit*, ut primus, ſecundus & tertius corporis diſtrictus ab hoſtibus liberaretur, quod etiam *Lenientia*, ſive minor purgantium doſis præſtat; Major doſis, majorem quantitatem cum gravioribus turbis exturbat, minor quantitatẽ minorem, cum minori agitatione levioribus turbis. *Fol. Sen.* elect. non im̃atura, non ſtipites, educunt non ſolùm aduſtos, ſed quoscunq; humores peregrinos, ſerum variis heterogeneis tinctum, colliquatoriam enim ſive fuſoriam fermentationem, & ad inteſtinorum ſecretorias glandulas, ad pancreas traductionem, dum inſtituunt, è dictis locis educunt. *Objicere* autem quis poſſet: In tali affectu, ubi fuſio, reſolutio humorum tanquam cauſa accuſatur, ulteriorem fuſionem inſtituendam non eſſe; Cui *Reſpondeo*, 1. ut iſta, quæ talem fuſionem gignunt excernantur, purgatio inſtituitur, etiam in Diarrhæa; 2. Lenia, non vehementiora hîc præſcripta fuerunt; Vehementiora enim agitatione ſua magis nocuiſſent. 3. Alia eſt ſeparatio quæ in glandulis inteſtinorum, alia quæ in glandulis renalibus fit. *Sem. Aniſi* vim aromaticam carminativam, *Crem. Tartari* ſtimulatoriam hinc inde deprædicatam reperies. Additum fuit *Elect. diacaſſ. cum Manna*, paratum, conſervâ viol., quia Syr. ingreditur, omiſſâ, retento verò contra *Zwelfferi* intentionem Saccharo penidio, quia hoc leniendo ab acrimonia læſas partes, commune aliquantum ſuperat. Hoc *Elect.* inter purgantia mitiora, lenitiva vulgò dicta, ſimul humectantia, acres, acidas, rodentes particulas temperantia, caput exerit, licet *Multis*, quia *Galenica* eſt compoſitio, non ſapiat; *Verùm*

hume-

humectando, demulcendo, ſpicula obtundendo, conducentia, idque particulis viſcidis, mucilaginoſis, lentis, oleoſis, balſamicis, præſtantia in *Chymicorum* officinis vix reperies, ſed aliis atomis acriori cauſæ obviantia. Compendioſa *ergò* nimis ſunt & coarctata *Pharmacopolia*, quæ ſola *Chymica* vendunt, *Galenica* verò omnia exeſſe jubent *medicamenta*. De Flatibus nihil conquerebatur Æger, hinc ille metus, caſſiam ut vulgò ſolet, hic non proſcripſit, quæ etiam cauſa fuit cum alvi libertate, quod Enemata injecta non fuerint.

XXIX. Succeſſit *Aqua contra ardorem Urinæ Mynſ.* quæ talia quidem ingredientia monſtrat, cujus vires alembicum non tranſcendere, *Quidam* curioſiores & ſola volatilia urgentes *Chymici* volunt. Verum tranſcendere tales, quales ab *Authore* intenduntur, particulas, nimirum ardorem & difficultatem Urinæ mitigantes, ciborum & lotii acrimoniam obtundentes, exulceratâ fiſtulâ urinariâ, veſicâ, renibus & ureteribus ulcera detergẽtes, glutinantes, & cicatrice tegentes, ſenibus veſicæ ſcabiei, ac inde mictioni creberrimæ obnoxiis utiles, Urinæ ſtrigmenta mucoſa, aſpera & dolorifera complanantes atque lenientes, ut *Mynſicht* adducit, tranſcendere, inquam, cum quadam ſimul *Urinam* promovendi vi tales præter effectum quem laudabilem in talibus ab hac aqua ſæpius vidit *Dn. Præſes*, probat Emuls. ex fructibus & ſeminibus oleoſis deſtillatio, quæ aquam profert odorem & ſaporem Emulſionis referentem, tandemque etiam rancorem iſtis oleoſis rancidis com̃unem contrahentem. Mucilaginoſas, demulcentes, aqueis, diluentibus, temperantibus particulis mixtas aſcendere quis negabit? Quid de *Syr. de Althæa Fernelii* confectione *Hörnigk*, quid *Zwelferus*, quid *Schröckius* ſcribant, legi. Quî unus vel alter *Pharmacopæorum* paret, novi. Modo vis mucilaginoſa, lenta, mitigans communicetur, ſyrupique conſiſtentia debita & quantum licet, gratia adſit, quod fieri poteſt, licet una vel altera præparationis circumſtantia variet, mihi perinde videtur. Inter illa certè hic *ſyrupus* eminet, quæ Urinæ ardorem demulcent, citra manifeſtum calorem, craſſam, obſtruentemque pituitam, nec non viſcidam purulentamque renum ſaniem, arenulas & calculos blandè ac clementer, ut verba *Medicorum Auguſtanorum* ſonant, expurgant.

XXX. *Malva*, *Altheæa*, *Liquiritia*, *Sem. 4. frigida*, *papav. albi*, *Amygdalæ dulces*, *Hordeum* acrimoniam leniendi, dolores mitigandi gratia in *juſculis*, *emulſionibus*, *aqua deſtillata* ac *decocto ordinario* exhibita fuerunt; Particulis enim ſuis lentis, viſcidis, mucilaginoſis, balſamicis, oleoſis, pinguibus, ſalina obtundunt ſpicula, partes à dolore ſolutas, turbatas demulcent, muco ſuo roſionem acidarum particularum, omni abſtergendi vi non deſtituta, impediunt. In affectibus dolorificis veſicæ, ceu quævis leviter acria ſive per longiorem ſive per breviorem viam ipſi communicata dolorem vehementer augent, undè ſive volatilia ſive fixa acredine prædita, à *Medicis quibusdam* exhiberi ſolita, ſæpè ad deſperationem usque ægri, dolores intendunt: Sic talia mucoſa, tàm per os quàm per urethram immiſſa, non ſolum acrimoniam, aculeos obtundunt, ſed & naturalis muci ſive cruſtæ à natura transeuntibus acribus oppoſitæ vices ſupplent, imò ipſum reſtaurant, unde injicere talia curat *Exc. D. Præſes* in veſicam calculoſorum, ubi calculum frangentia, vulgò dici ſolita, ſuo deſtituuntur nomine & munere, idq; magno cum levamine & cura inſigni palleativa, ut ipſi ad munera itinera & alia peragenda iterum diſponantur, quod & hîc feciſſet, ſi diu duraſſet malum, nec tantâ copiâ profluxiſſet Urina, injectum cremorem, mox dilutura & eductura; Nec alia ex ratione juvant *Morſuli* à *Drawizio l. c. pag. 414.* deſcripti, *alius cujusdam* conſilio Ægro Noſtro exhibiti. Hinc, quod antea dixi, patet magis, nimirum ſolam talem juſculorum, Emulſionum, decoctorum exhibitionem non ſemel prævalere laudatis à *Chymiurgo* medicamentis; Dari autem haud paucos affectus, quibus *Chymica* feliciter, *Galenica* inutiliter ac fruſtra opponuntur, contra negantes defendam acriter; Ex utraque ergo pharetra in variis caſibus arma depromat Medicus neceſſe eſt; In plerisque Nephriticis affectibus talia demulcentia aliis narcoticis præſtant. *Tale narcoticum* videtur fuiſſe medicamentum, quod à *quodam Medico* magnoperè laudatum mulieri anheloſæ, ictericæ, calculoſæ, exhibitum, dolorem quidem ſedabat, & ægram ſomnolentam reddebat, ſed graviori malo ſc. Urinæ ſuppreſſione ſuccedente nullis medicamentis auſcultante intra diem unum vel alterum ægra confecta, ceu refert *Anton. de Heide obſ. 24.*

XXXI.

XXXI. *Fragorum Aqua* diluendo, abstergendo, dolori obicem posuit; *Petroselini Aqua*, *nasturtium aquaticum*, partibus suis acribus, tenuibus, crudiores, pituitosos, acidos humores emendando, fermentum glandularum renalium roborando, corrigendo, spiritus restaurando, sero debitam consistentiam largiendo profuerunt; *Aquæ fontanæ* qualiscunque si adesset cruditas *crusta panis* tosta ut auferretur, prospectum fuit. *Extractum specierum diatrion santalon* non tàm propter obtinentes particulas, quàm propter terrestres adstringentes, ibi concentratas, resoluto fluori, obviam ivit, salia in humoribus istum tumultuosum fluxum excitantia quasi emori fecit, consistentiam strictiorem sanguini ac sero induxit. *Terebinthina* tàm emolliendo, lubricando, mitigando, quàm simul abstergendo renalis fermenti nimiam resolvendi vim, emendando profuit.

XXXII. *Tragea* ista ex *flavedine corticum arantiarum*, dempta penitus alba insipida inutili membrana, propter aromaticas, oleosas, spirituosas, volatiles, amaras, moleculas, ex *ligno sassafras*, quod volatile, oleosum, acre, ex *tunicis ventriculorum gallinaceorum*, quæ præter absorbendi, laxitatem corrigendi vim, volatilitate gaudent, & *Ebore præparato*, quod imbibit, enervat, & adstringit præscripta fuit, ut acidi fluores prohiberentur, sanguis magis in volatilitatem debitam eveheretur, spiritus restaurarentur.

XXXIII. *Pulverem* Arthritidi oppositum constituebant *lumbrici*, qui sale volatili & muco glutinoso oblinente, nervos solantur, acrimoniæ vires demunt. *Antimonium diaphoreticum; Hoc* quid valeat, ubivis hodiè legimus; Hîc acidas magis domuit particulas ob *connubium Jovis*. *Succinum*, cujus nativa loca *Plinius* & *Alii Antiqui* adducunt plurima; *Germaniam*, *Hispaniam*, *Italiam*, *Adriaticum Mare*, *Scythiam*, *Numidiam*, *Insulas Oceani septendrionalis*, *Syriam*, *Africam*, *Ægyptum*, *Æthiopiam*. *Recentiores* designant *Germaniam*, in hac varia loca, etiam *Sueviam*, *Hispaniam*, *Italiam*, *Pannoniam*, *Poloniam*, *Jappaniam*, *Cambajam*, *Chinam*, *Novam Hispaniam*, *Africam*. Verùm, an *Nostrum*, quod nos hîc intelligimus, *Succinum*, ubique ita reperiatur, maximè dubito; Hoc in *Brussia* ejusque Provincia *Sudavia* potissimum colligitur. *Quid* autem sit, *Naturalium scrutatores*

tatores variè maceravit. Animalium excrementum, *Quidam*, *Alii arborum*, *Alii* Maris volunt; *Quidam* ex Balænis pro seminari, *Alii* ex spuma maris nasci statuunt; Quidam bituminis sive picis fossilis genus è venis suis in mare vel flumina, vel etiam cavernas terræ eructatum, ac à rebus coagulantibus condensatum dicunt; *Borellus*, Mel congelatum & à frigore antiquo lapidefactum censet; *Hartmann. Histor. Succini* in gemmarum locat seriem. *Amannus manuductione ad materiam Medicam S. 2. §. 10.* dicit: *An medium quid inter lapidem* Agtstein / *& Gummi, vel resinam sit, nescio revera & omnes Physici.* Quicquid sit, egregias Arti nostræ suppeditat suppetias. *Non* quidem ad fabulosam ejus virginitatem probandi vim deduci me patiar, non singulos quibus opponi solet morbos adducam, qua intentione nullum penè corporis membrum esse, cui non aliquid ex Succino beneficii promittatur, dicit *Libavius*; Saltem notasse sufficiat, Nostro profuisse Ægro, quia *compositum est*, ut loquitur *Abuali Ibnsina canon. lib. 2. tr. 2. cap. 372. ex Aqueitate tepida & terreitate jam subtiliata*, quia caliditate non excedit, simulque siccum & adstrictoria vi præditum est, quia particulas continet salinas fluiditati obviam euntes ad firmitudinem disponentes, sulphureas, viscidas, demulcentes, volatiles, aciditatem corrigentes, quia serum suave si non dulce insipidum tamen efficit, quia sudoriferum est, quia non capiti solùm, cephalica autem vulgò dicta, nervina etiam sunt, à *plurimis Authoribus* dicatur, cedet tanquam nervis gratissimum ab *Helmontio* commendatum, ab *Experientia* confirmatur. *C. C. philosophicè calcinatum*, quod variè calcinant *Philosophi per Ignem*; Sufficit lenta per coctionem Emollitio; Particulis volatilibus diaphoreticis, omnibus aut potissimis orbatum, *Quidam* rigidiores dicunt; *At* præter vim imbibendi, immutandi, leviter stringendi, particulis tenuibus diaphoreticis penitùs destitutum nego. *Semen Aquilegiæ* subtilibus suis corpusculis heterogenea, tàm sensui apertè patentia, quàm eundem subterfugientia per reticulares cutaneos ductus eliminat, terreis durioribus, laxiorem sanguinis ac lymfæ texturam stringit.

XXXIV. *Pilularum* materia fuit *Extractum* sive succus inspissatus *Papaveris Erratici*. *Hoc* in Arthritide non solùm vi

dia-

diaphoretica, ſed & anodyna ſpirituum ferociam compeſcente, acrium irritationem mitigante prodeſt, internoque uſu *Mandragoræ*, *Solano*, *Hyoſcyamo*, aliàs à *Quibusdam* laudari ſolitis quocunque etiam modò præparatis, omnem palmam præripit. Porrò *Extractum Bezoardicum D. Præſidis*, quod optimo jure *polychreſtum* quis diceret, ob vires modò laudatas cum aliis; & *Bezoardicum minerale*, ob vim diaphoreticam, ob vim imbibendi, abſorbendi acidos humores, licèt, ſi quis *Antimonium diaphoreticum* ſubſtituere vellet, nos non repugnaremus; Non enim illud viribus hoc ſuperat, ſed ſaltem labore & pretio; Rariſſimi aliàs uſus eſt *Exc. Dn. Præſidi.*

XXXV. *Cinnabaris Nativa*, quam *Antimonii Cinnabari* præferre ſolet *Dn. Præſes*, quia Nativam feliciorem Arte Chymicum cenſet, addita fuit; Contra quam tamen non generalis ſolùm, ſed & ſpecialis in hoc caſu ratio inſurgere videntur. *Mercurii* eſt ſive Minera ſive fœtus, hinc in ipſum reducere hîc & ibi docent *Pyrophili*; *At* quas noxas furores *Draconi huic* non ſolùm oſores ſed & clientes *Chymiæ* adſcribant, niſi mitigetur, notum eſt; Simul & *Experientia* funeſta, *Aurifabros*, *Metallarios*, & *alios Mercurii tractatores* è ſolo illius fumo læſos, ac ipſius armis ſive ex incuria, ſive ex ignorantia, ſive impia proæreſi abutentes, monſtrans, confirmat; Quam Pulveres, quibus Auri genius & vires tribuuntur, oculo nonnunquam armato, nonnunquã meditabundo Mercurium oſtendant nocivum norunt *multi*. *Pariter* Cinnabarim, intùs aſſumtam, læſiſſe non rarò corporis humani ſtructuram, *Quidam* notant. *Sulphur* etiam ejus conſtituit portionem, impura autem Sulphura quantum laborem faciant ventriculo, in quantum ejus Archéum ad vomitum usque agant furorem, patet, *Barthol.* occaſione ſolennis officinarum Pharmaceuticarum viſitationis ſeqq. notavit *Actor. Hafn. Vol. 1. obſ. 41. In Officina Joh. Gothofredi Becker vidimus ſulphur nigrum ex Cinabari nativa ſive minera Mercurii extractum & ſeparatum, ut periculo carere non videatur pulvis ex Cinabari nativa in capitis affectibus exhiberi ſolitus. Ex aliquot libris, duas tantum Cinabaris puræ habuit, ex quibus 8. uncias ſulphuris nigri ardentis ſeparavit. Ex ſublimato illo ſulphure, elicitur quo-*

que Mercurius currens & sulphur nigrius priore. Unde conjecturam facit, siquidem sulphur istud cum Mercurio conjungi non potest, & ex utroq; Cinabaris constituitur, conducibile non esse ante purificationem in usum Medicamentum trahere Cinabarim. Nam assumto pulvisculo pro una dosi, quintam ejus partem constitui ex sulphure nigro Arsenicali. Salutari cautioni non possumus non accedere, suadentes ut quicunque posthac pulvere Cephalico ex Cinabari uti voluerit, securitatis gratia prius sublimatione impuritates has arsenicules separet. Verùm Non ex Mercurio solo constat Cinnabaris, non in ista sui juris est ☿ius, sed compedibus quasi ligatus, non salinæ, corrosivæ ibi dominantur moleculæ, sed si quæ adsunt sub jugo vinciuntur, sulphureæ, puræ, blandæ, naturæ amicæ, non impuræ inquinatæ hostiles adsunt, junguntur que connubio, quale & Natura & Ars in corporibus instituunt frequentissimè amico, suavi, etiam extra talem statum hostes conciliante. Istæ sulphureæ, quæ non rarò Auri Natura gaudent. Crudum Mercurium corrigunt, mutant, depurant, figunt, cicurant. Posito, læsisse aliquando Cinabarim exhibitam, selecta dubio procul non fuit, aut ad Regulas Artis, modo, præparatione, dosi, usu, & cæteris debitis non exhibita. Curet *Medicus*, ut comparet *Pharmacopæus* selectissimam quantum datur, non territus à cariori, quod hodiè est pretio, aut si talis haberi non potest, à saxo adhærente per trituram & elutriationem, ab arsenicalibus & aliis quæ commiscentur impuritatibus suo modo liberanda Serit; eligere Hungaricam, rariùs aliter præparare jubet ac frequenter exhibet *Dn. Præses*; Nec enim *Chymiam* ad ea quæ docta Natura tam feliciter, ut diximus, univit separanda censet destinatam.

XXXVI. Sed & *specialis* in hoc casu *Ratio* Cinnabaris hujus usum dissuadere videtur, omnis nimirum ejus resolvens, fundens, liquans, ob quam ejus usui in morbis ubi fluidior, resoluta justo magis sanguinis textura est interdicunt; In Nostro autem Ægro salia resoluta, fluidiora, hactenus accusavimus. *Verùm* Laxus iste fluor tantus cum exhiberentur pilulæ istæ, ceu antea, non fuit, & alienam morbus faciem induere cœpit, quibus accedit, quòd in exigua dosi exhibita aliisque juncta fuerit Cinnabaris.

baris. Hujus nunc *Natales*, *Encomia ac Vires* recensere supersedeo, cùm præter *Multos*, *uterq;* *Hofmannus*, *Wedelius*, *Ludovici*, *Schultz*, *Tillingius* & *alii* hoc præstiterint. Peculiare inventum Cinabarinum nuper exhibuit *Clauderus*. Quantum nervis solamen conferat, *laudati* modò, ut & *Möllenbroccius* docent. Rarior paucis abhinc lustris ejus fuit usus, hodiè verò eam magis magisque *la mode* in usum non solùm ducit Medicum, sed & *Chymico* subjicit Examini, magno cum Artis nostræ decore & Ægrorum commodo. *Huic* præscripta fuit *Ægro*, quia diaphoretica exaltat, Mercurialibus correctis particulis acidos enervat humores, sulphureis puris demulcet & mitigat, imò ob ipsarum conjugium istas acres inimicas corpori particulas absorbet, destruit, invertit, sicque lymfæ mitis generationem *procurat*. *Hoc* dum *præstare* dixero, *primùm* in Ventriculum ejusque liquores ac partes agendo eâdemque operâ spiritus ibi hospitantes ab inimicis confusos, turbatos, pressos, solando, in ordinem redigendo, corrigendo ab his monitos etiam alios liberando, serenando, caussam in ventriculo universalis aut longè dissiti particularis mali tollendo, sicque toti corpori singulisque partibus prospiciendo, *dein* etiam minutissimis sensui non patentibus particulis (licèt aliquando alvi excrementa tingere non negem) ulterius penetrando, *occultam occulti regiminis actionem*, *Magnetismum sive irradiationem* non ineptè explicuero, ut in conflictu patebit. Spicula *autem* ista pungentia nervosas infestantia partes, qui frangere, obtundere, immutare, tàm exigua hujus Cinabaris dosis valeat? si quis *objiceret*; ℞. Non sola, & repetitæ non semel istæ pilulæ fuerunt, insignior autem illius dosis in genere, quia non rarò, ob talem purgat, vomitus ciet, in specie propter fluidiorem sanguinem læsisset.

XXXVII. *Oleum lumbricorum*, partibus ante laudatis inebriatum, sicque balsamicâ demulcendi vi suâ magis auctum, cum *pinguedine Viperarum Italicarum* nervosas partes, mirè juvante Nuchæ & Spinæ, ut nervorum origini prospiceretur, commodumque partibus sic facilè communicandum, præstaretur, non verò partibus dolentibus, quia pinguia magis lædunt in hoc affectu, inunctum fuit. *Animo habebat Medicus* muco imminuto;

minuto;

minuto, acrimonia mitigata, ejus ulteriorem proventum prohibere, fontes obturando, viſcera nimirum & glandulas ad debitum officium reducendo; *Sed*, cùm materia pultacea ſenſim deficeret, Ægerque absque ullo ulteriori incommodo degeret, ſuperfluis, Natura jam Victrice, ipſum onerare noluit medicamentis.

XXXVIII. *Acribus* interdictum fuit *cibis*; Tales enim in hisce morbis exhibiti per quascunque eant vias non ſuam exuunt acredinem, ſed ejusdem remanentis teſtem certiſſimum, ipſum nimirum Ægrum ob dolores auctos ejulantem, producunt. *Nec* id ſolùm præſtant ante aſſumtionem acria, *ſed &*, quæ aliàs non acria ab obviis in corpore vel acrimoniam contrahunt, vel ob antea preſſas ac ſubjugatas acres portiones nunc liberatas exerunt, ac punctionem roſionem exercent. *Cur Vinum acidum* à menſa relegatum, ne cauſa augeretur, dolor intenderetur facilè patet. Meminit *B. Ettmull. Med. Hipp. cap. 3. §. 5.* Mulieris dyſuriæ ſubinde obnoxiæ, cujus paroxyſmus tàm ab *aceti* quam *vini* uſu ſubitò recrudeſcit, *Oleo amygdalarum dulcium* cum *lapidibus* 69 & *Percarum* denuò ſopiendus. *Potus ordinarius* ex *Hordeo*, ob cauſam ſupra dictam, *ſemine fœniculi*, ob acres oleoſas, tenues partes ſtomacho, nervis, ſanguini, ſpiritibus amicas, acido inimicas, *Ebore* ob terreas, laxitatem emendantes, abſorbentes (decoctum enim nonnihil ▽æ communicat) paratus fuit.

Et hæc de Reſolutione Hujus Caſus.

DEO TRIUNI VERO SALUTIS FONTI SIT LAUS HONOR ET GLORIA.

